



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Molitores.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

362 *Pars secunda de elevatione*
& tales sæpè nancisci potes in urbibus, in quibus Mercenarium habere non potes nisi à Magistro tribùs constitutum. *Breves dies hominis, donec optata veniat, sicut Mercenarii dies ejus, Job. 14.* In quo mercedem à Deo accipiet. *Quanti Mercenarii in domo Patris mei abundant panibus. Ego autem hic fame pereor. Luc. 15.* Religiosi non debent esse Mercenarii hoc sensu, Quòd ob temporale quid Deo serviant. Sed hoc sensu, quòd mercentur cælum. Et respectu talium multi nobiles, divites cum filio prodigo carnalibus vitiis dediti, quæ sunt porcorum filiquæ, jure ad Deum Patrem clamare possunt. *Fac me unum de Mercenariis tuis, qui abundant panibus.* Adeoque non tantùm habent pro vita sustentanda necessaria, sed ultra. Interim sic Deus remunerat servos suos etiam in hac vita.

Hortulani.

ILLA (Magdalena) existimans quia Hortulanus esset (Christus) dicit ei Domine, &c. Joan. 20. Innocentes & simplices Professiones sunt per se loquendo. Quarum figuras sibi adoptavit aut applicavit Christus, ut Hortulani ac Pastoris. In quolibet horto occurrere tibi potest Christus in horto Gethsemani captus, & paradisi horti voluptatis, ex quo peccatum ejecit humanum genus.

Molitores.

PHILISTÆI Samsonem excecatum molere fecerunt Jud. 16. Eò devenit homo tot à Deo singu-

ſingularibus præventus beneficiis, qui meretrici cor ſuum dedit. Cor tuum teſte Greg. ſemper molit aliquid ſive farfur ſive triticum. Si ſapis, occupa illud in molendo aliquid boni. In Scotia uſque modo molendina eſſe dicitur S. Fridiani dicta, quæ furto ablataſ fruges non molit. Utinam ipſi Molitores non furentur, *Conterebam molas iniqui.* Job. 29. Hoc eſt, contrivi potentiam, avaritiam impii, qui potentiâ & libidine habendi in tranſverſum actus imbecilles conterit. Et propriè officium eſt Domini territorialis tales conterere. *Due molentes in mola una, una aſſumetur, & una relinquetur.* O quàm terribile eſt cogitatu, ut ſapiùs in hoc Vade mecum inculcavi, quòd ex eadem profeſſione, eadem domo, familia, &c. unus ſit damnandus, alter ſalvandus, Quale divortium pro tota retro æternitate?

Nauta, Naves.

TImuerunt Nauta, & clamaverunt viri ad Deum ſuum [quòd naturæ inditum ſit Deum verum dari, apparet in omni homine etiam gentili in ſuprema neceſſitate manus ad cælum tendente] *miserunt vaſa, que erant in navi in mare, ut alleviaretur ab eis* (ſic uſurarii omneſque, qui illicitis artibus acquirunt, aut de cætero poſſident bona non ſua, ſi ſalvari velint, hiſ ſe ſpoliare debent) *& accēſſit ad eum* (Jonam) *Gubernator, & dixit ei: Surge, invoca Deum tuum. Miserunt ſortes, & cecidit*
Q 2 *ſors*